

SCRIPTA

Numéro Scripta : 6501

Autre(s) référence(s) : Bates 149

Auteur(s) : Guillaume Ier le Conquérant, Angleterre (roi)

Bénéficiaire(s) : Saint-André-sur-Orne, Saint-Étienne de Fontenay (abbaye)

Genre d'acte : notice

Authenticité : non suspect

Datation : [1070-1079]

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Guillaume [Ier], roi d'Angleterre, confirme les donations faite par Raoul Taisson à l'abbaye Saint-Étienne de Fontenay fondée par celui-ci avec l'accord du roi Guillaume et de l'évêque Hugues de Bayeux.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa, t. XI*, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta, col. 62-65.
- b. Farcy Paul de, *Abbayes de l'évêché de Bayeux*, tome 1, Cerisy, Cordillon, Fontenay, Longues, Laval, Moreau, 1886-1888, p. 27-33.
- c. Bates David, *Regesta Regum Anglo-Normannorum, the Acta of William I (1066-1087)*, Oxford, Clarendon Press, 1998, n° 149, p. 488-496.

Indications

Davis Henry William Carles, *Regesta Regum Anglo-Normannorum, 1066-1154*, vol.1, Regesta Willelmi Conquestoris et Willelmi Rufi, 1066-1100, Oxford, Clarendon Press, 1913, n° 117.

Dissertation critique

La datation est donnée par l'abbatiat de Guillaume Bonne Âme à Saint-Étienne de Caen (voir BATES, *Regesta Regum Anglo-Normannorum*, p. 491).

Texte établi d'après c

In nomine sancte et individue Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Notum sit omnibus catholicis viris Deum diligentibus, et etiam sancte matris ecclesie adversariis et iniuriam facientibus, quod Radulfus Taxo filius Radulfi Andegavensis et Alpaidis, ad laudem Dei omnipotentis et sancti Stephani protomartyris, fundavit coenobium pro indulgentia peccatorum suorum et salute anime sue, atque pro remedio animarum omnium parentum suorum, in hoc loco qui Fontanetum dicitur vulgari nomine, in quo congregati sumus ad serviendum Deo omnipotenti sub monachili habitu et religione. Ipse enim per gratiam Sancti Spiritus animatus, consilio et auctoritate Romani pontificis et nutu Willelmi Normannorum principis filii videlicet Roberti comitis, qui Willelmus regnum Anglie armis subjugavit et strenue gubernavit, per consensum quoque Hugonis Baiocensis episcopi, atque per consilium Alberede uxoris sue et omnium baronum amicorumque suorum, de propriis rebus et facultatibus suis opus incepit,

et ad effectum perduxit quantum potuit. Dedit autem in usibus monachorum in hoc eodem loco pro se et omni parentela sua Deo servientium, de propriis possessionibus suis ea que hic ascripta sunt absque retractione et absque retinentia cuiuslibet consuetudinis sive servicii seu alicuius gersimonie aut secularis exactionis, ne oblatio quam offerebat Deo qui regit omnia minus acceptabilis fuisset oculis Divine Maiestatis si foret cuiuslibet laicalis persone servitio subdita, sed esset omnino libera et quieta et sicut iam dictum est ab omnibus consuetudinibus et serviciis suis heredumque suorum absoluta. Concedentibus itaque et laudantibus Albereda uxore sua cunctisque baronibus suis, dedit huic Fontanetensi coenobio omnem terram quam habebat in hac Fontanetensi valle, a via que descendit a Maeaco et duxit ad Stavellos usque ad fluvium qui dicitur Olna, et quadraginta acras terre quas appreciaverat in hoc Fontanetensi territorio ab Osmundo cognomento Labita, in villa vero que dicitur Icius dedit duos vavassores, Rainaldum scilicet et Ingulfum, cum omnibus terris suis ab eodem Osmundo Labita appretiatas. Donavit quoque dimidias ecclesias Fontanetensis ville, sancti Andree scilicet Apostoli sanctique Martini, et omnes decimas ad ipsas medietates pertinentes, dimidiamque vineam Fontaneti, et terram Herfasti presbiteri sancti Andree, ac de molendinis Fontanetensibus unum, atque totam partem suam Olne fluminis ad piscandum.

Dedit etiam omnem decimam totius terre quam habebat in Almannia, totamque terram Durandi magistri et terram Radulfi quam tenebat in eadem villa—iste Radulfus fuit frater Odonis de Stavellis—in ipsis Stavellis. Dedit omnem terram eiusdem Odonis fratris predicti Radulfi, quia hi fratres hereditatem paternam in duo diviserant. Adhuc etiam dedit omnem terram Grosset de prefatis Stavellis quam idem Grosset de illo in quocumque loco tenebat, et omnem decimam. In villa vero cuius nomen est Icius, dedit omnem terram Radulfi qui cognominatus est Pura Aqua, totamque terram Guimundi qui appellatus est Gulart, cum omnibus decimis eorum, et cum omnibus decimis totius terre que de feudo suo erat in eadem villa et in Brath atque in Fulbertifolia. Apud Cormelas dedit unum vavasorem cum omni terra sua et decima. In pago vero Baiocensi in proximo fluminis Olne contra occidentalem partem, abbacie dedit duodecim acras terre quas excambiaverat a Willelmo Marmione. Donavit etiam ecclesiam de Bolunno cum omnibus decimis suis, et cum omni terra que data fuerat eidem ecclesie in elemosina.

Concessit quoque et constituit ut ex tunc in antea cederentur ligna in parte sua Cingalensis silve ad omnia edificia huius Fontanetensis abbacie necessaria, et ad reliquos usus monachorum in ea Deo servientium absque ulla contradictione, et quod monachi duos asinos habuissent in eadem silva consuetudinarie, et ex quo asini non sufficerent ad supplementum lignorum cum carris illuc a monachis mitteretur, nemine prohibente, et sic expelleretur indigentia eorum. Deinde concessit totam decimam omnium redditionum suarum ipsius silve. Et si aliquo tempore vaccarias aut ovilia seu porcarias ibidem aggregare faceret, donavit decimas omnium profectuum illarum, et non solum ibidem sed etiam per omnia dominia totius terre sue. Donavit quoque omnem decimam totius thelonei sui de Torreio, ferie videlicet et mercati, unumque burgensem et omnes consuetudines eius, et etiam cunctas consuetudines hominum illorum qui in domo ipsius emerent aliquid aut venderent, atque decimas molendinorum et piscationum suarum. Donavit etiam omnem terram cappellani sui Radulfi de Essun et omnes ecclesias eius. Deinde concessit dimidiam ecclesiam de Cleceyo cum omnibus decimis ad eam pertinentibus, et quatuordecim acras terre quas ibidem habebat in dominio donavit liberas et quietas ab omnibus consuetudinibus atque servitiis, et etiam decimas molendinorum et piscationum cum omni decima thelonei eiusdem ville. Ipse quoque prebuit dimidiam ecclesiam sancti Lamberti et dimidiam ecclesiam sancti Salvatoris de Villula, cum omnibus decimis earum atque presbiteros ipsarum cum omnibus terris suis liberis et quietis ab omnibus consuetudinibus atque servitiis suis. Adhuc dedit dimidiam ecclesiam sancti Medardi cum omni decima sua et presbiterum eius cum tota terra sua ab omnibus consuetudinibus libera et quieta. De terra vero quam idem Radulfus Taxo habebat in parrochia illius ecclesie, in dominio dedit huic Fontanetensi abbacie duas partes decime habere in dominio. Donavit etiam ecclesiam de Canhadun cum omnibus decimis suis et presbiterum eius cum tota terra sua ab omnibus consuetudinibus et servitiis libera et quieta, et decimam molendini et piscationis atque omnium denariorum et aliorum profectuum ipsius ville. Prebuit quoque dimidiam ecclesiam sancti Martini de Maisnilio Huberti cum decimis et redditibus ad ipsam medietatem pertinentibus. In castello vero de Rouvrou dedit totam ecclesiam sancti Johannis cum omnibus decimis suis et presbiterum ipsius ecclesie, taliter cum tota possessione sua sicut et alios supra, atque decimam molendini et piscationis denariorumque censuum et thelonei et mercati. Dedit etiam ecclesiam sancti Vedasti cum omnibus decimis suis, atque cum tota terra quam eadem ecclesia habebat in elemosina, et decimas molendinorum atque piscationum.

Hic etiam per concessum et auctoritatem Willelmi principis Normannie donavit huic Fontanetensi abbacie, cui et ea omnia que supra, omnes episcopales consuetudines quas de Hugone Baiocensi pontifice tenebat in feudo, concedente donationem istam eodem episcopo, et quas etiam consuetudines ipse Radulfus Taxo habebat liberas, quietas et solutas in ecclesiis suis in Fonteneto scilicet, et Bolun, et Torreio, et Essun, et Canhadun, et in

Maisnilio Huberti, et in Rourou, atque Fiurvilla, Barberioque, et Cingal, atque in Calvavilla et Sancto Remegio. Concessit quoque similiter omnes redditiones et offerendas que ad cappellam suam pertinebant, ubicumque ipse fuisset, et omnes decimas rerum ipsarum, quas tunc temporis habebat per omnia dominia sua et quas etiam ipse vel heredes sui conquisituri erant et habituri ex tunc in antea in terris, videlicet et aquis atque molendinis et piscationibus, forestisque et theloneis. Deffendit etiam et prohibuit atque constituit ne quisquam baronum sive aliorum hominum suorum daret aliquid rebus suis, nec venderet, nec in vadimonium transponeret cuilibet altere ecclesie. Et concessit ut quicquid eis placuerit, dent aut vendant vel in vadimonium ponant, et quicquid illud fuerit ab omnibus consuetudinibus atque servitiis liberum et quietum atque absolutum sit, quamdiu hec sua Fontanetensis abbatia illud possederit.

Hec omnia que supra scripta sunt dedit ad laudem Dei et sancti Stephani prothomartiris huic Fontanetensi coenobio Radulfus Taxo filius Radulfi Andegavensis et Alpaidis, consilio et nutu Willelmi Normannorum principis, qui fuit filius Roberti comitis. Eodem Radulfo Taxone defuncto, secundus Radulfus Taxo filius eius et filius Alberede filie Wimundi de Molins, cum obtinisset hereditatem, hec omnia supradicta, sicut fuerant a patre suo huic ecclesie data, concessit, et incremento donorum largitatis sue testificatus est et corroboravit. Auxit etenim possessionem huius Fontanetensis abbacie de omnibus terris et decimis atque rebus quas Herluinus de illo tenebat, eodem Herluino secum donationem rerum ipsarum super altare sancti Stephani ponente, atque Willelmo Capra vidente et testificante. Donatio vero ista fuit omnium rerum quas idem Herluinus habuerat in Fiurvilla et Veiocis atque Maiseto et Valenceio et Mustreceio et Icio. De his autem que habuerat in Crasso Maisnilio fuit facta donatio concedente Willelmo de Curcella et Hugone de Crasso Maisnilio atque Hadoisa uxore sua sorore Willelmi de Curcella ad cuius hereditatem pertinebat terra illa. Similiter data sunt ea que prefatus Herluinus habuerat in Barbareio et Cingal atque Fraisneto trans Cingalensem silvam. Dedit autem Radulfus Taxo huic abbacie cui et ea omnia que supra, Achelundam et ecclesiam cum omnibus decimis suis, liberam et quietam ab omni episcopali consuetudine, et dimidium molendinum cum sua piscatione, et quartam partem ecclesie de Barbereio, et quartam partem ecclesie de Cingal cum decimis suis ab omnibus episcopalibus consuetudinibus liberis et quietis. Deditque adhuc illas decimas quas idem Herluinus de illo tenerat in Crasso Maisnilio et in Fraisneto trans Cingalensem silvam atque in Mutereceio et Maiseto et Valenceio. Adhuc etiam donavit et concessit huic ipsi ecclesie duo molendina que sunt in Fontaneto, et molturam omnium hominum ecclesie qui habitant in Fontanetensi valle a via que descendit a Maiaco usque ad ecclesiam sancti Andree, que ecclesia sita est ad sinistram partem ipsius vie. In hac eadem villa dedit dimidiam masuram terre quam tenebat Osmundus Petener. Et in Burguesbu dedit unum vavassorem cum duodecim acris terre, libere et quiete ab omni consuetudine et decimam ipsius terre. Dedit quoque omnes elemosinarios de Condello qui habitant iuxta silvam, et omnem terram que est habilis ad arandum et ad habitandum iuxta eandem silvam ad dexteram partem vie que ducit Toirreum. Apud Croeum vero in pago Baiocasino dedit unum hospitem et dimidiam ecclesiam cum omnibus decimis suis et omnem decimam totius domini sui. Apud Perceium quoque in Constantiensi pago dedit unum villanum cum plenis debitis et redditionibus, liberum et quietum ab omnibus servitiis suis et consuetudinibus suis atque omnem decimam totius domini sui, tam eius quod tunc temporis ibidem habebat quam illius quod ipse aut heredes sui, et ibi et alias habituri erant in terris et aquis atque molendinis et piscationibus, in feriis quoque et mercatis ac theloneis et silvis et planis locis.

Diebus istius Radulfi Taxonis filii Alberede, filie Wimundi de Molins, constituit Willelmus rex Anglorum et princeps Normannie filius Roberti comitis abbatem in hac Fontanetensi ecclesia, Gaufredum nomine, quendam monachum sancte Marie Lire, predicto Radulfo deprecante et Odone Baiocensi episcopo adipsum laudante et concedente. Quecunque autem ipse abbas appreciavit de hominibus eiusdem Radulfi, sive dono recepit, seu cuiuslibet rei gratia conquisivit, idem Radulfus concessit et in carta firmavit. Huius abbatis tempore dedit adhuc ipse huic coenobio dimidiam ecclesiam sancte Marie de Rourou et decimam ad eam pertinentem, atque unam acram terre liberiam et quietam ab omni servitio et consuetudine, et unam acram vinee in Calvomonte, atque totam decimam molendini de Veocis, et unum arpentum prati trans Olnam fluvium in praturia Cadomensi.

Post obitum vero eius cum venisset possessio illius in manus Mathildis uxoris sue, filie Gauterii avunculi Willelmi regis Anglorum et principis Normannorum, et in manus Radulfi Taxonis filii eiusdem Mathildis qui tunc erat parvulus, cumque cepissent aliquanti ex baronibus honoris abbati predicto iniurias facere, et ea que iste Radulfus Taxo et pater eius huic ecclesie dederant velle retrahere, et hoc ad notitiam Willelmi predicti regis pervenisset. Nolens imminui que consilio eius et nutu antea facta fuerant, precepit Ricardo vicecomiti Abrincarum quatinus de parte eiusdem regis, ante se et Willelmum abbatem Cadomensem, predictaque Mathilde iubente, barones honoris in Cadomo convenire iussisset, et omnia que predicti duo Radulfi Taxones huic Fontanetensi ecclesie dederant sacramento super Sanctum Evangelium facto veraciter recordari fecisset. Quod et factum est. Item fuit Cadomum iuxta preceptum regis et electi sunt quatuor legatimi viri communi assensu qui omnia hec que predicta sunt recordati sunt, et se illa verissime recordatos fuisse super Sanctum Evangelium iuraverunt. Nomina vero eorum qui iuraverunt hec sunt Rogerius filius Giraldi, Turstenus de Fontibus, Turginus de Mustreceio, Ingulfus de Fontaneto, prepositus Radulfi Taxonis primi et secundi. Deinde, predicto rege Willelmo iubente, scripta sunt hec omnia in carta et eidem regi coram baronibus suis recitata, signoque sue et testimonio eorundem baronum confirmata

et corroborata. Concessit quoque idem rex huic Fontanetensi ecclesie, per gratiam regie pietatis sue, libertatem de omnibus propriis rebus suis, et potestatem vendendi et appretiandi libere et absolute, atque immunitatem et quietanciam de omnibus teloneis et consuetudinibus per omnia dominia sua totius Normannie, ut ex tunc in antea pacifice et quiete possideret omnia sua ista Fontanetensis abbatia.

S(ignum) Willelmi regis Anglorum. Signum Matildis regine. S(ignum) Matildis filie Gauterii. S(ignum) Odonis Baiocensis episcopi. S(ignum) Roberti comitis Morittonii. S(ignum) Rogerii de Montegomeri comitis. S(ignum) Rogerii de Bellomonte. S(ignum) Ricardi vicecomitis Abrincorum. S(ignum) Willelmi abbatis Cadomi. S(ignum) Radulfi de Vallibus. S(ignum) Radulfi filii Gaufredi. S(ignum) Radulfi nepotis. S(ignum) Radulfi Pura Aqua. S(ignum) Ingulfi de Essun. S(ignum) Ogerii de Torreio. S(ignum) Ingelranni de Torreio. S(ignum) Radulfi de Montabo. S(ignum) Rogerii fratris eius. Signum Richardi de Valledario.